

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0930

0928

0934

0924

0939

0919

0979

0879

1029

0829

0429

Ende

Anfang

357

est secunda Philistinorum civitas Acharon quondam grandis,  
in qua magnum erat templum Baal sive Beelzebub, qui dice-  
batur Deus Acharon, unde Ochozias rex Israel cum cecidisset  
per cancellos coenaculi sui, misit ad consulendum Deum  
Acharon, Beelzebub, ut habetur 4. Reg. 1. Et Judaei domi-  
num Jesum infamabant, quod haberet pactum cum eodem  
daemone, dicentes: in Beelzebub principe daemoniorum ejicit  
daemonia, Luc. XI. Haec civitas fuit data tribui Juda, sed  
numquam possessa, quia non praevalebant contra ejus habi-  
tatores gigantes. Ulterius descendendo per maris littus venitur  
ad Azotum, quae tertia est Philistinorum civitas, decreta  
quidem per Josuam tribui Judae, sed non tenta, quia habita-  
tores pristinos nequivit expellere. In hac civitate erat temp-  
lum Dagon magnum, in quod tulerunt Philistaei arcam Dei  
Israel, cum eam cepissent, sed Dagon idolum corruit et po-  
pulus percussus plaga magna fuit, ut patet 1. Reg. V. De  
hac civitate descendendo super maris littus venitur ad quar-  
tam Philistinorum urbem, ad Ascalonem, de qua Jeronymus de  
distantiis locorum dicit: Ascalon urbs nobilis Palaestinae, quae  
antiquitus fuit una de quinque satrapis Philistinorum, separata  
tribui Juda per sortem, tamen non retenta (**b**) ab ea, quia habi-  
tatores ejus superare non potuit. Haec civitas novissimo tem-  
pore magnae fortitudinis fuit. Nam Saladinus rex Aegypti,  
Christianorum stimulus, vir utique bellicosissimus, cum passim  
Christians devinceret et de locis ejiceret jamque regem Je-  
rusalem Guidonem et magistrum templi cum nobilibus capti-  
vasset, applicuit Ascalonem cum ingenti exercitu oppugnans  
civitatem, sed nihil profecit. Solvit ergo obsidionem et ad  
Jerusalem civitatem sanctam ascendit eamque cepit, ut dictum  
est P. 1. Fol. 268. Capta autem Jerosolyma iterum descendit  
et Ascalonem obsedit, nec eam capere potuit nisi hac condi-  
tione, si regem Jerusalem et magistrum templi cum eorum  
nobilibus liberos abire permitteret, se sponte civitatem tradere  
vellent, quod promisit et tenuit, sicque Ascalonem accepit.

De hac civitate consequenter descendendo per littus maris  
venitur ad quintam civitatem Philistinorum, quae dicitur Gaza,  
vel Gazara, ad quam et nos ipsi in hac via festinavimus des-  
cendere, quatuor iam dictas civitates derelinquentes ad partem

